SIGNUM MAGNUM
QUIA CORONATUM

Olim a dilecto Dei hominis Diſcipulo in Cælo viſum;

Nunc verò in Orbe Palæmonio jam in tertium Sæculum ſplendidiſſimis miraculorum radijs coruſcans.

HOC EST.

Sereniſſima Cælorum Terrarumque Regina

MARIA VIRGO

In Thaumaturga Icone Zyrovvicenſi continuis gratiarum operationibus clariſſima

Per Illuſtriſs., & Reverendiſs. Dominum Archiepiſcopum Kiovienſem & Metropolitam Ruſſiæ.

CORONATA

Et a PP. Baſilianis Cænobij Zyrovvicen:

ADORATA.

Anno Coronatæ per Unionem Verbi humanitatis MDCCXXX.

ROMÆ, MDCCXXXII.
Ex Typographia Anſillion in Via Coralij.
Superiorum Facultate.

Perilluſtri & R.mo Domino
Domino

JOANNI LIPSKI

Gneſnenſi ac Poſnanienſi Canonico, inclitæ Collegiatæ Varſavienſis Decano.

Ignatius Kulczynski S. T. D. Monachorum Ruthenorum Ord. S. Baſilij Procurator in Urbe Gener: ac SS. Sergij & Bacchi ad Montes Rector.

Felicitatem.

E*Xilem hanc meam iucubrationem ſub actum coronationis Sacræ Imaginis Zyrovvicianæ recitare debueram, at eodem actu*

prorogato, cum me hanc almam in Urbem transferri, hic que commorari Superiores mei juſſiſſent, & alteri interea de coronatâ jam Thaumaturga Icone dicere laudationem felix Provincia obtigiſſet; ne mea quoque humilis oratio laudes Virginis Deiparæ ſubticeret, neve perpetuo involveretur ſilentio, beneficio præli reddere ipſi vocem exiſtimavi. Jam vero hoc modo fandi facultate præditam ad Te dirigere, Tibi que dicare Perilluſtris & Reverendiſſime Domine jure optimo duxi, cum enim gaudeas loqui frequens magnalia Mariani nominis, amabis etiam auſcultare meam tenuem ſuadam loquentem de gemmatis tęnijs, quibus coronata fulget pulcherrima Mulierum. Debetur hoc certè Tuis meritis, ut Signum magnum in Orbe Palæmonio au-

ratà

ratâ cidari inſignitum, Tuo faveat honori, Tibi que ad purpuratas Lechici Senatus præluceat dignitates: in Te enim ſuſpicimus virtutum prototypon, in Te veneramur compendioſam Iliadem eorum rectèfactorum, quæ ſæculis legenda majores Tui clariſſimi, pacis artibus ac bellorum gloriâ inſignes reliquère, dum Regnum Poloniæ aris & armis illuſtravere. Illuſtriſſima LIPSCIORUM Domus, quot magna complectitur nomina, tot radiantia recenſet ſidera, quæ ne compendioſo ſtringam eloquio, religioſo venerabundus praſequor ſilentio. Quæ vero audebit eloquentia recenſere virtutes, cumulare laudes Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi JOANNIS Antiſtitis Luceorienſis ac Breſlenſis Fratris Tui? Ille eſt, quem conſpicu-

um Cidari Præſulea, Cancellarium Regni, ampliſſimi Senatus inſigne ornamentum, univerſę magnum Decus Patriæ, Lechius veneratur Orbis. Ille eſt, cujus ſublimitatem conſilij, magnitudinem dignitatis, & prçclara in Patriam merita, ipſamet Sacra Regia Majeſtas magnificè deprædicat, & ſingulari affectus teneritudine proſequitur. Hæc ſunt nempe clariſſima magni Fratris Tui decora, quæ noſtrum in admirationem rapiunt ævum, dum ejus Illuſtriſſimum nomen Orbi Polono luminis inſtar contemplandum proponitur. Sequeris Tu quoque Perilluſtris Reverendiſſime Domine tum Majorum Tuorum, tum Fratris, glorioſi Antiſtitis pulchra exempla fortunatis paſſibus; hinc ut veſtigijs eorum inſiſtens, Regià virtutum vià ad infulatos

pro-

procedas honores, & Gentilitio Tuo Raſtro auream meſſem adorearum colligas, a ſigno magno ſtellatà cidari coronato cunctas Tuas felicitates auſpicare.

*Signum magnum ap-
paruit in Cælo, Mu-
lier amicta ſole, & lu-
na ſub pedibus ejus, &
in capite ejus corona
ſtellarum duodecim.*
Apocal. 12. v. 1.

ORA-

ORATIO.

I. IAmdiu expectatum hodie ſpectatis triumphum,& pridem deſideratos lætis jam animis percipitis applauſus, Auditores ornatiſſimi. En auguſtiſſimæ cælorum Imperatrix aurato cingitur diademate, en potentiſſima Terrarum Regina gemmatà inauguratur coronà, en clementiſſima orbis (1) Palæmonij Domina Regalibus honoratur inſignibus. Exultate mitrati Principes, plaudite patrijs ornati honoribus Proceres,

con-

congaudete in univerſum, utriuſque Gentis (2) Polonæ & Lituanæ univerſi ordines. Atque ut ſolennis inaugurationis pompa congruo decoretur apparatu, mugiant flammivomę bellicorum tormentorum machinæ, pluant denſi pyrobolorum imbres, ſuccendantur puriores Vulcanijs ignes, parituri tædas triumphales, quibus (3) Zyrovvicenſis ſolitudo orbi reddatur illuſtrior. Vos etiam clariſoni Heliconis comites jucundis tubarum clangoribus mentes noſtras excitate, impulſis que Tympanis, ipſaſmet ſacratas ædes per-

mo-

movete, ut ſaxa attonita erumpere in plauſum videantur. Jam verò dum intueor hocce Marianum Auguſtal totum fulgens penſilibus undequaque luminibus, aras argento nitentes, parietes ſumptuoſis aulęis ornatos oneratoſque, dum auribus haurio concava lætum io ęra ſonare, dum mente revolvo confluentium undique populorum tripudia, dum tandem ſtupeo feſtę fauſtę que Coronationis magnificum apparatum, lætor & exulto. Quid dixi exulto? imo Reginalis majeſtatis ſplendore perſtrictus, magnificentià victus &

vin-

vinctus, totus ire in admirationis notam & deſinere cogor.

II. O vere ſignum magnum! quod olim Cælo eripuit ſolem, modo noſtros rapit oculos;& quod tunc ſelectiora Firmamenti decora in compendioſum ſui convertit coronamentum, nunc a Vaticano Olimpo votivis coronatur adoreis.(4) O ſignum magnum! inſigniens omnem ætatem præteritam præſentem & futuram. Viderat Te o pulcherrima mulierum Pathmæus ille Aſtrophilus ſuper radiantia coruſcantem aſtra, viderat, & inſolità fue-

ſuerat perculſus extaſi. Quid enim ſpecioſius illa cidari ſtellarum duodecim? Quid auguſtius Regali illo paludamento radiantiſſimi ſiderum Principis? Quid magnificentius candido illo ſcabello ſphæræ lunaris? Sed o grande ſpectaculum! Nova rurſus hocce in Auguſtali iteratur Apocalypſis, quando electa ut ſol, Virgo ſpecioſiſſima ſcandit Reginalem Thronum, & mille Angelorum ſtipata agminibus, ſubmiſſum ab Urbe Orbis domina diadema amabiliter acceptat, eburneis manibus tractat, auguſtiſſimo que

ca-

capiti adaptat, æterno fœdere (5) Littavo Orbi clementiſſimè imperatura. O cara pignora in cæleſti recondi cymeliarchio digna! O magna munera gemmis Regno æſtimatis precioſiora! Felix certè ſolitudo noſtra, cui æſtivalis ea que declinans tempeſtas coronarias germinat Roſas, eo magis æſtimabiliores, quia ex grano auri in ſceptrorum culmos ac meſſem tæniarum pullulante elaboratæ.

III. Faceſſat hinc amata quondam Xerxi Platanus mille ornata trophæis, mille onerata fulminatricis Bello,

næ

næ opulentiſſimis ſtipendiis.
Vos Baſiliadæ domeſticæ Py-
ro deliciosiſſimo olim Thau-
maturgæ hujus Iconis recli-
natorio florens metallum e
Vaticano (6) Roſeto ſub-
miſſum pro triumphi coroni-
de implantate, tum pendula
votiva munuſcula depromi-
te; foliis foliatas tabellas in-
ſerite, floribus gemmeis
gemmifera commiſcete ſtilli-
cidia, fructibus fulvis fulgo-
rem auri adnectite. Demum
ad tantam coronationis pom-
pam auſpicatis feſtini paſſi-
bus, feſtivis lauris cinctas
reſerate portas, & compto
ordine, ad ſcabellum Regi-

nalis Majeſtatis inclinatis cervicibus procidui, datà teſſerà, lætis jubilationis vocibus, canite, inclamate. Vivat MARIA, regnet Poli ſoli que Domina, triumphet Lechici Littalani que Orbis Imperatrix auguſtiſſima. At prius vos auditores ſpectatiſſimi date animos aures que dicenti.

IV. Inter ſplendores ac gloriam naſci omnium prope deſiderium eſt. Si poſſent, inquit ſeneca, homines ſibi ſortem facere naſcendi, nemo eſſet egenus, unus quiſque felicem, & claro ſanguine conſpicuam domum invade-

ret,

ret, ut magno tantum, quantumvis alieno lumine, illuſtris prodiret. Et certe ſi equorum in pullis bellatores, leonum in catulis venatores, originariam æſtimant excellentiam, cur non appretiemus nobilitatem in hominibus, ſi trabeatis oriatur ſub tectis? Magnum eſt vetuſta circumfuſum claritate naſci, & acceptum decus in ſplendoris augmentum ſuccedenti relinquere poſteritati. Magnum eſt fumoſas vetuſtate imagines in domeſticis recenſere atriis, & reſperſos canitie ſæculorum vultus ab adamantinis perennitatis laque-

quearibus pendentes inter clariſſima oſtentare ornamenta. An non inclita Orbis Nomina antiquitatem jactare, originem que terrenam ipſis aſtris finitimam propalare audebant, imo gaudebant? Prætereo tot tantos que Reges, quos coætaneam Pelago vetuſtiſſimi ipſorum ſanguinis ſcaturiginem deprædicaſſe, haud dubij memorant Faſti. Unus ſufficit magnus ille Macedo, qui armis luſtrato victorijs illuſtrato Orbe, faſtidiens jam communem hominum ſortem, non fragili Olimpiade, ſed ſublimi Olimpo, non paren-

parentibus mortalitati ſubje-
ctis, ſed diis immortalibus
progenitum ſe credidit, &
credi voluit. Hæc eſt nimi-
rum innata magnis nomini-
bus proprietas; velle, ut eo-
rum familiæ credantur Re-
gnorum amplitudine majo-
res, terrarum circumferen-
tia latiores; optare, ut adula-
trix chronotaxis fundamen-
talem aboriginum lapidem
oſtendat, vel pallidis ſepulta
cineribus pergama, vel ſu-
perimpoſitam ſepticolli Urbi
Rupem Tarpejam; imo pro
ſummo felicitatis apice habet
illa propago, de qua ſcrupo-
loſi antiquitatis indagatores

ſi non ingenuè ſaltim ingenio ſè fatentur, malle ſe ortum mirari quam rimari.

V. A vetuſtis corruptioni tamen obnoxijs mortalium monumentis, ad immortalem diviniſſimæ Viraginis gloriam move paſſum humilis ſuada, originariam Regi-nalis majeſtatis contemplare auroram. Excurre in Solymæa Climata, porphiretica ſubintra auguſtalia, quot auguſtos glorioſorum Regnatorum vultus ſuſpexeris, quot veneranda beatorum Patriarcharum capita adoraveris, tot directos noſtræ Clementiſſimæ Dominatricis aborigi-

gi-

giſſes agnoſces : qui tamen omnes præcelſam tantæ affinitatis prærogativam, ab intemeratis deſumunt Marianis cunabulis; quidquid enim in illis dignitatis magnitudinis celebritatis que refulſiſſe ſacri produnt codices, totum id Marianus illuſtravit ortus.

Ut generata decus dat lactea gemmula conchæ,
Non ſecus exornat candida Virgo genus:

Et hæc eſt portio laudum præſtantiſſima Filiæ Hjeruſalem, nontantum Regalem a majoribus ſanguinem derivaſſe, ſed magis auſpicatiſſimam propagationis ſeriem

ad

ad augem nobilitatis evexiſſe, adeout, quamvis laureati Patriarchæ, tyarati archiantiſtites, coronati Principes, galeati bellatores feliciſſimam Abneptem tempore præceſſerint, dignitatis tamen temperato greſſu comitari debeant. Sed parum foret magnę huic Regum ſoboli palmare ſatoribus ſuis incrementum dediſſe, niſi etiam totam dignificatæ ſtirpis conſtellationem, integrum illuſtrium majorum Hemiſphęrium majeſtuoſo fulgore obſcuraſſet, & penitus eclypſaſſet. Eo nimirum pulchra ut luna electa ut ſol magno gaudet privile-

vilegio; ut in ſupremo eleva-
tionis gradu conſiſtens non
ſolum grandiora quęque ſub-
lunaris orbis lumina, ſed &
ſuperſolana luminaria obnu-
bilet. Loquatur eloquentiſſi-
mus Petrus Damianus. (7)
Sol ita ſibi ſiderum & lunæ
rapit poſitionem, ut ſint qua-
ſi non ſint, & videri non poſ-
ſint. Sic etiam Virga Jeſſe,
veri prævia luminis, in illa
inacceſſibili luce perlucens, ſic
utrorum que Spirituum he-
betat dignitatem, ut in com-
paratione Virginis nec poſ-
ſint nec debeant apparere.

VI. At ubi mentio facta
de Cęlo, linque terram Ora-

tor, altius aſcendo, & ad inaccesſibilem ſolis æterni regiam tremulam vibra pupillam. Interroga beatos illos Aulicos, gloriæ incolas, fatebuntur ingenuè ex ore Altiſſimi prodijſſe Mariam, & auguſtiſſimam Deihominis parentem eſſe Filiam Patris Omnipotentis. O quam ſublimis Virginalium Natalium excellentia! o quam excellens Mariani ortus celſitudo! Dicant ſane immenſa Cęlorum moles, ſol mundi oculus, luna ſiderum Imperatrix, pupillæ Cęli pendulæ ſtellæ, ampliſſima Terrarum ſcena, vaſtus Oceanus termi-

na-

nales Terraquei orbis orbitas alluens, & omnia quæque unico Numinis imperantis verbo procreata, dicant inquam ſe ex ore Altiſſimi per illud emphaticum fiat prodijſſe, at Virgo Sanctiſſima ſingulariſſimus eſt partus oris imoCordis Divini. Enimuero æternus rerum Architectus, ut Cęlorum orbes giraret, pugillum admovit, ut pondus terræ libraret, tres digitos adhibuit, ut quæque animata omni impleret benedictione, unam manum aperuit, ut demum cætera univerſi ambitu contenta fundaret, ſuas divinas cogitationes im-

pendit. At ut efformaret Mariam, omnes ut ita dicam, divinitatis recollegit vires, magnificentiſſimas contulit cogitationes, ipſamque intendit omnipotentiam. Pronuncia igitur cum Infulato Niſſeno Mariam Filiam eſſe ſingularium Dei cogitationum. Si enim ſpectes innocentiam & ſanctitatem, ipſa eſt prius ſancta quam nata immunis ab omni culpà, meridies ante ortum, angelis purior, ſancta in perpetuum. Patris Filia, Verbi mater, Divini Spiritus Sponſa. Ipſa primogenita ante omnem creaturam, conſimilia Pri-
mo

mogenito privilegia trahit; & Filia Patris prærogativarum compendium in ſe derivando,ſupremum poſt Deum univerſi imperium nanciſcitur. O vaſtum Mare gratiarum Maria! o pellucidiſſimum Triados ſpeculum! O pulcherrima aurora aureas horas nobis ſpargens! imo electa ut ſol, quia ſolari diploide ornata, ipſa millies ſole ſplendidior. Sed quamvis diviniſſimam Puerperam integra ſphæra Solaris ambiat, aquila tamen Joannes ſuſpicit irretortà palpebrà ſacratiſſimum uterum ejus gravidatum non gravatum Sole,

increato Verbo æterno. Induit Virgo & Mater ſolem, induitur que abeo, nempe ſol manet in ea, & ipſa in Sole. Maria igitur facta eſt formoſiſſimus ſolis Juſtitię amictus, quando ipſum carne mundiſſimà induit, & feliciſſimo commercio, ipſa Sole amicta, quando Filium portans in utero, facie reſplenduit ut (8) Sol. O miram Filij Matris que reciprocationem! Ex Maria ineffabile Numen humanitatem aſſumpſit, eidem que ſublimiori apotheoſi divinam Maternitatis dignitatem communicavit. Admirare ſignum magnum

gnum in Cęlo Pathmæe Aſtrophile, & ornatam radiantiſſimà diploide Puerperam, quæ Virginale clauſtrum pro Cęlo & ſede Regi altiſſimo præbuit, contemplare. At ego tantam Majeſtatem nimio meridiani Solis fulgore; coruſcantem dum ſuſpicere vereor, veneror Filiam Regis ſæculorum, æternà ſanctitate privilegiatam, profiteor primogenitam creaturarum ex ore prodijſſe Altiſſimi, ac tandem ſupremam poſt Deum Univerſi hæredem ac Imperatricem ſupplex adoro.

VII. Hactenus Cęlo immorata oratio, ad tellurem

retrogradum fac paſſum, & ne accerrima lux Partheniæ Majeſtatis lippas perſtringat palpebras, terrigenarum ſatius liberà oculorum acie percurre ſubſellia & ſolia. Quanquam pulchrum ſit illuſtres nanciſci natales, & in purpuratis naſci cunis, Virtus tamen nobilitatis præſtantiſſimum eſt ornamentum. Neminem Regem non ex ſervis eſſe oriundum, neminem non ſervum ex Regibus, divinus Plato aſſervit. Omnia enim iſta longa varietas miſcuit, & ſurſum deorſum verſavit. Terrenæ felicitates in extremas tandem calamitates

deſinere ſolent. Quem dies vidit veniens ſuperbum, hunc dies vidit fugiens jacentem, nemo confidat nimium Secundis, nemo deſperet meliora lapſus, miſcet hæc illis, prohibet que Clotho ſtare volubilem rerum mutabilitatem. Sola vivit poſt funera virtus, quam nulla poteſt delere vetuſtas. Abſque adſcititijs famæ laudibus, ſatis Atlantem labor, virtus Herculem, cæteros rectefacta Heroes commendàrunt. Individuæ nempe ſorores ſunt gloria & virtus. Has dico geminas in axe rotas, quibus triumphales Heroum curules ad

gloriam provehuntur. Quo paſſu virorum illuſtrium virtus, eodem proceſſit & fama. Altera alterius magnitudinis fuit menſura. Magni nomen ſubditorum invenit humilitas, juſti ac pij virtus fecit. Pietas enim ac virtus ſunt Regnorum firmamenta, dominiorumque baſes ac ſtabilimenta.

VIII. Nemo præter Deum recenſere poteſt virtutes ac merita Mariæ, in qua quo ſublimior puritas & innocentia, eo major virtutum donorumque multitudo & eminentia: quid quid enim immenſarum divitiarum ſupremus diſtri-

butor ſingulis juſtis contulit, totum id Matri adornandæ congeſſit. Non revoco in memoriam Pandoram, cui inſtruendæ deorum laboravit univerſitas, in cujus vultum Charites ſparſerunt lepores, in cujus oculis Phæbus accendit ſidera, in cujus linguam Mercurius adſpiravit facundiam, in cujus corpus Jupiter induxit majeſtatem. Nil eſt majeſtatis in Cęlo, lucis in Sole, ſplendoris in ſtellis, ſerenitatis in aere, venuſtatis in terra, virtutis in homine, perfectionis in angelo, quod non ampliſſima Dei manus contulerit in Mariam. Cęle-

ſtis Paranymphi ſemel hoc eſt comprobatum oraculo, Mariam adeo omni repletam gratià, ut ſolo Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtat. Menſurare licet ſublimes aliorum Sanctorum perfectiones. Supereminens eſt virtus & gloria Mariæ, quæ tanto excellentior angelis facta munere ſingulari, quanto differentius præ miniſtris nomen Matris adepta eſt. Ipſa eſt Cedrus exaltata in libano, hoc eſt, in ſummo ſumma.

Summa petit Cedrus, ſuperat virtute Maria,
Illa ſubit nubes, grandior illa polos.

In-

Inter omnes arborum fru-
ctus, ſolum malum grana-
tum in vertice coronam Re-
giam præfert. ita ut parvis
magna adumbrare liceat, ſo-
la Maria radianti duodecim
ſtellarum cidari in Cęlis coro-
nata, ac reliquis Cęlitibus
longè ſuperior. (9) Sola Re-
gina Sanctorum omnium hoc
encomio digna, ut reſpectu
ejus omnis ſanctus ſit, ſicut
arena reſpectu auri. Sola am-
pliſſimis copioſiſſimis virtu-
tibus coruſcans, interminatis
fulget honoribus, dum quam
gratiam liberalitas Divina
cętetis per partes præſtitit, ei
ſoli totam infudit plenitudi-
nem.

nem. In Maria Roſarum odor, lilij puritas, humilitas violæ, obedientia Heliotropij ad vivum cernuntur expreſſa: imo ſi diligenter attendas cedrorum perennitatem, cipreſſorum proceritatem, balſami odorem, auri optimi fulgorem, adamantis precium, gemmarum valorem, nil in his & mille alijs terræ marisque precioſis pignoribus, nil æſtimabilitatis invenies, quod non eminentius reſplendeat in Virgine Glorioſiſſima, in cujus nomen univerſum mare gratiarum effuſum. (10) Maria ineffabilis voce, indicibilis lingua, ſpeculum ſi-

ne macula, & pulcherrima divinæ bonitatis imago. In Maria ceu Achate precioſiſſimo Solis venuſtas, candor lunæ, & totum Cęlum ludibundis radiat ignibus. Huc Terrenæ majeſtates veſtras comportate coronas, & Reginæ Regum tributarij honoris ſupplex date homagium. Apocalyptici Seniores veſtras procidui ſubmittite tænias, ſignum magnum in Cęlo a Pathmæo obſervatum Atlante, Matrem nempe Regis æterni ſpecioſà duodecim ſtellarum Cidari ornatam adoraturi.

IX. Quidnam jam porten-

tendat; quod lunaris ſphæra inſcabellum pedum Partheniæ majeſtatis ſe ſubiciat & ſternat? Dicerem lunam provolui ad plantas Virginis intemeratæ, ut ejus immaculatæ conceptionis genuinum ectipon exprimat, nam ut luna exigua purior, & recens omnis maculæ immunis, ita Mariæ conceptio abſque labe originali, ortus ejus abſque occaſu, phoſphorus abſque heſpero. Dicerem lunam ſubſterni pedibus almæ Dei parentis, ut ejus profundiſſimam humilitatem vivaciſſimis effingat coloribus; nam ſicut luna licet ſupra vaſtiſſi-
mum

mum oceanum ſupremum, teneat dominium, infimum tamen omnibus planetis occupat locum, & quæ imperat ſubeſt: ita Beatiſſima Virgo quamvis prærogativis pene divinis illuſtris evaſerit, ſumma ſanctitate prędita, nihilominus ancillam ſe Domini humillimè pronunciavit. Dicerem lunam prociduam, pedes ambire niveà luce magnæ Deiparæ, ut lineis radiorum efformet imaginem Partheniæ majeſtatis; nam ſicut luna plenà orbità inter aſtra minora coruſcans, ęmula ſolis, & conſors fraterni liminis, tum magnitudine tum

ſplen-

ſplendore cæteris præeminet; ita ſuprema ſupernorum Civium Regina & immenſitate gratiæ & fulgore virtutum omnes ſuperat, adeo ut ſi comparentur, non niſi tenuiſſimi Cęlorum aſteriſci videantur. Dicerem hæc tantum, niſi aliud adhuc reflexionis punctum ſupereſſet. Rotatur ſponte ſub auguſtiſſimos pedes Marianos lunaris Globus, ut clarius indigitet, & veluti circino demonſtret, non ita ſe mirà ſupra omnes Planetas celeritate præſtare, prout clementiſſima Domina noſtra celeres neceſſitatibus humanis ſuppetias offert,

&

& velocius quam invocetur occurrit, cauſas que miſerorum anticipat. Si a luna pleno orbè ſplendeſcente res quęque copiosè reficiuntur, longè abundantius de plenitudine gratiarum Mariæ devota clientum pectorà revireſcunt & vigorem reſumunt.

X. Illos Principes avorum præcepta exemplis expreſſiſſe, Patrum hiſtorias factis comprobaſſe, Anteceſſorum glorias in compendium traxiſſe exiſtimamus, quos a generosà liberalitate, ab inſigni clementia, ad propinquam divorum ſimilitudinem efformatos, Patriæ Patres, & re-

gno-

gnorum provinciarum quę
Tutelares veneramur. Ille verum Regis archetypum geſrit, qui cum ferrum induit; amores non exuit; cum aquilas explicat, columba videtur; cum in aciem progreditur, clementiæ non obliviſcitur; fortis tamen manſuetus, victor tamen temperatus, triumphator tamen modeſtus. Is optimus Princeps eſt, qui præfert infronte amęnitatem, in oculis clementiam, in vultu illicia, in pectore candorem, in corde amorem, in toto corpore manſuetam compoſitionem, qui gerit pro paludamento præmia, pro
coro-

corona munera; pro ſceptro dona, pro armis & clipeo corda populorum. Hę ſunt nimirum præcipuæ Regiæ officioſitatis dotes, ſi Princeps ad normam ſolis quaquaverſum circumſpiciat, ut ſubditorum utilitati proſpiciat, ſi amet ut ametur, Patris que magis quam domini glorioſo celebretur titulo.

XI. Stabunt perennaturà felicitate illa Regna, quæ Mater clementiæ protegit, vivent in poſthumas ætates illæ Gentes, quas Mariana bonitas vivificat: hæc enim ſunt mira pientiſſimæ Matris magnalia, addictas ſuo cultui

ma-

majeſtates aurifluis irrigare nimbis, propagatrices ſui honoris Gentes Urbes que, ut in immenſum creſcant, cæleſtibus nutrire bellarijs, bella a Patriæ limitibus arcere, victorias ac trophæa ab hoſtibus extorquere, peſtilentias amovere, ſævientia incendia ſopire, lęſas incolumitates redintegrare, & innumera munera copioſiſſimo alveo effundere, ipſas que Empyrei Gazophilacij opes inopibus egeniſque terrigenis miniſtrare. Ruat igitur lunaris ſphæra in amplexum auguſtorum pedum Partheniæ Virginis, ut quæ ob beneficos influxus

pro-

proximumque ſitum ſidus terris familiariſſimum nuncupatur, eadem ſit ſymbolum bonitatis & miſericordiæ, quà terrigenas tuetur Mater Clementiæ.

XII. Et jam ubi mea inconcinna dictio devolvitur ad enarranda præpotentiſſimæ Cælorum Terrarum que Dominæ magnalia, in Zyrovvicenſi oſtenſa deſerto, & diſertiſſimis longinquarum gentium elogijs celebrata, quę uterque (11) Lechius lithuanus que Orbis admirabundus coluit hactenus & colit, dicite quęſo, an non hęc dulciſſimę Matris Thauma-

tur-

turga Icon unicum afflictis ſolatium ? An non hęc ejus ara ſecurę tutelę certiſſima miſeris arrha ? an non hęc ejus domus urbs delinquentibus validiſſima refugij? Numanum olim Ancile è nube delapſum, ſeu verius in cerebro legiſlatoris cuſum, Roma tunc adoleſcens impensè coluit. Inclita Lithuania in hac Thaumaturga Icone copioſiſsimos jam intertium ſęculum experitur favores, & tanquam cęleſte pignus deſuper datum veneratur. Natura ingeniumque ut magnum aliquid vel producant vel inſtaurent, diu deſudant. Flu-

unt

unt guttatim annorum miria-
des, antequam in liquido Ne-
ptuni Gazophilacio de con-
chà profluat primę magnitu-
dinis unio. In cavernis mon-
tium lentè adoleſcit nobilior
adamas. Quid memorem ar-
tium portenta? Quantum ſu-
davit ille, qui ſub nucis cor-
tice Homeri clauſit Iliadem?
Quandiu laboravit is artifex,
qui in parvulo annulo inte-
gram ſonantis horologij ſtru-
cturam fecit, & Imperatorio
Caroli V. digito geſtandam
obtulit? De noſtra Sacra Ef-
figie non audeo curioſà diſ-
quirere indagine, quiſnam
opifex peritiſsimus, quęnam

mens capaciſsima, humana-
ne vel angelica, quænam
manus ingenioſiſsima terre-
na ne vel cæleſtis, quonam
ſcalpello ſubtiliſsimo, tenuiſ-
ſimas duxerit lineas, venuſ-
tiſsimos efformaverit vultus,
ſtupendum orbi inexiguo or-
biculo opus abſolverit. Ma-
lo mirari quam noſſe hujus
Eliſij pignoris pulcherrimam
elegantiam, elegantiſsimam
pulchritudinem, immemora-
bilem vetuſtatem, facilius
enim quis poſſet primige-
nium Memphitici Nili fon-
tem reperire, quam origina-
riam precioſiſsimi hujus lapil-
li venam invenire.

XIII. Sed

XIII. Sed huc aures animos que ferte ornatiſſimi Auditores, & quæ haud dubia majorum traditione habuimus, quæque fidelibus exarata faſtis percepimus, & quæ palam ſunt omnibus, neminemque latent, auſcultate. Ubi nunc triumphalem Divæ noſtræ coronationem cum exultatione ſpectatis; hoc eodem loco Sacram hanc Iconem Cæleſtes Aligeri reverenter depoſuère, quam tandem Paſtores Pyro inſiſtentem abſque fulcro, & fulgentiſſimà luce radiantem invenere. Cum ſit Angelorum Regina, bajulos ergo ſuæ

Imaginis angelos habuit! Cum ſit pulchra ut luna electa ut Sol, ſplendidiſſimis itaque fulgoribus pyrum ſuę effigiei ſuſtentatricem irradiavit, cum ſit Sponſa Divina innixa dilecto ſuo, pependit igitur ejus Icon in aere abſque fulcro, haud ejus indiga. O felix arbor! quę tanto prodigio è rudi planta in ſpecioſam transformata oleam, paluſtrem ſylvam in Teſſala commutaſti Tempe. Tibi Sacro pignore onuſtæ appenderem ſcutum laureis ramuſculis coronatum, adiecto lemmate: Tutela & decus. Tibi per exiles vicinorum collium ſug-

ſuggeſtus exiliens, geſtirem plauſus, meditarer carmina, niſi vili at pià manu decerptam tuis frondibus precioſam gemmam, jam in aulam aurei vere Domini, quia velleris aurei equitis aſportari, & ab ipſo inter cariora monilia religiosè recondi quaſi que tumulari animavertiſſem. At crede o magne Heros, nôn poteris abſcondere lucernam ſub modio: quæ enim renovato Moſaici Rubi portento Sylveſtrem Pyrum illuminavit non exuſſit, non ne occluſas penetrabit arcas. & ad ſuum amabile in ſylvas remeabit reclinatorum? Elu-

det ſpes & curas inanes, in priorem que redibit ſitum. Et redijt, jam que dum cunctos movit religio, erectæ ædes, extructæ aræ, coacervata Sacra ſupellex, idonei deſtinati miniſtri. Sed cum vicini longinqui que clientes numeroſas fortunarum ſuarum primitias litarent magnę miraculorum Patratrici, ipſaque viciſſim manſuros in ſæcula theſauros abunde elargiretur, quodam tempore repente inſperatus irrupit hoſpes & hoſtis:(frequentem humanarum rerum damnificatorem ignem intelligo):quo jam victore leges dante, ob-

via

via quæquē conflagravère, in cineres que ac favillam abiere. Non damna opum luxit Clerus populuſque, quærens nec inveniens Sacram Iconem, amiſiſſe tantum Theſaurum indicto planctu communi lamentabatur. Adeo ne facile an dolor an deſperatio animos in pedes dejecit? intactus eſt theſaurus, flagravit luce, non conflagravit igne Thaumaturga Icon. Miſticus hic Achates dum flagravit, fragravit, in igne que poſitus ſuaviſſimos emiſit odores. Virga hæc Jeſſe, velut ſurculus aromaticus nonniſi inter flammas miram ſparſit fra-

grantiam. Agite ergo, eleva-
tis que oculis ac animis, in-
victiſſimam Vulcaniæ ſtra-
gis Triumphatricem ingenti
ſaxo inſidentem inter duo lu.
minoſiſſima Phænomena ſu-
ſpicite, agnoſcite, adorate?
Succeſſit ex animi ſententià,
agnita cum gaudio dulciſſi-
ma Conſolatrix, adorata
cum exultatione potentiſſima
Protectrix, & rurſus Sacrà
Icone publico plauſu depor-
tatà, novis que votis ac do-
narijs ornatà, novos Remu-
neratrix optima & largiſſimos
gratiarum fontes aperuit,
nullo ęvo deficientem Zy-

rovvicianæ ſuæ Mariopoli opem ſpondendo.

XIV. Jam vero quæ & quanta per tam longam annorum ſeriem ad noſtros uſque dies promanaveꝛe beneficia ab hac liberaliſſima Amphitrite, cum exilis mea dictio menſurare nequeat, loquantur ſplendida ſacræ hujus domus ornamenta, pandant oracula vel ipſi muti parietum lapides. Teſtor præprimis grande ſaxum, cui cœleſti ſtipata luce auguſtiſſima Regina inſedit. Commentum eſt mendacium Poetarum fabuloſum Deucalionem rudia ſaxa animaſſe. Saxeo

ſuo Throno Reginalis majeſtas ſonorum indidit tinnitum, quaſi quandam vocalem infudiſſet animam, dum exanimi petrę palmas impreſſit, manuum que mira veſtigia expreſſit. Irà digna lyra Amphionis, quà, ut fingitur, ſonante convolavere marmora in Thebarum propugnacula. Zyrovvicianus lapis ab inſidente ſibi ſemel miraculorum operatrice quodammodo privilegiatus, expugnandi infernales poteſtates, medendi varijs languoribus, mirà quàdam pollet virtute: ſpargitur per orbem, diſijcitur ac diſpenſatur, nec
ta-

tamen unquam deficit, a diminutione ſumens augmentationem. Somnia non omnia potuit ſuis modulis conciliare animalia, truceſque cicurare feras ſomniatus a Poetis Orpheus. Verius clementiſſima Domina noſtra efferatum cicuravit hæreticum. Is ut ſubſannaret non vero ſe ſanaret, lapidem Parthenijs veſtigijs ſignatum tetigit, ac ſacrilego auſu palpavit; ſed manum, quam temerariam admovit, caſtigatam illico quia aridam retraxit. Sic virga Jeſſe Moſaico illo baculo mirabilior, duriſſimas quaſque petras

verbere frangens , percuſſit toxico hæreſeos ſubſannatorem nutritum , ut contritum jam que facti pænitentem ſanaret, ut durum pectus emolliret , in lachrymaſque reſolveret . Ingemuit neo converſus Marianus Cliens , & ſtatim ſanam manum recuperavit , nam priſtinum ei vigorem infudit illa, quę eſt quaſi Oliva ſpecioſa in campis. Diva ergo noſtra Zyrovviciana ſævit ſine felle, pungit ſine aculeo , punit ſine furore . Fulmen nil tangit , quod non perimat , nil ferit , quod non exurat . Econtra Mater Clementiæ nunquam percu-
tit

tit niſi ut ſanet, nunquam verbere tangit, niſi ut duritiem frangat, ac ex hoſtibus Clientes efformet: imo non rigido terrore, ſed illicijs & amore trahit ad ſe quæque obſtinatiſſima corda. Herculem per aureas catenas efferatis incultarum nationum affectibus dominantem fingebat & pingebat vetuſtas. Faceſſant hinc nugatoria iſta figmenta. Verius Diva noſtra *Zyrovviciana* amęnitate frontis, ſuavitate oris, vultusque blandicijs velut byſſinis charitatis funiculis trahit oculos, corda rapit. Quid vero de immenſa ſummæ Theſau-
ra-

rariæ liberalitate ? Unum apud ipſam eſt videre neceſſitatem & tollere, audire preces gementium & ſolari. Hęc noſtra Domina in Slonimenſi figens ſedem diſtrictu, univerſam Lithuaniam unam conſtituit familiam, cui ut Mater præeſſet. Ipſa hanc Sacram Suam Domum publicum fecit indigentibus & calamitoſis ærarium: imo optat & anhelat, ut omnium infelicium calamitates ad ſuum Thronum convolent, ipſa beneficijs & gratijs vota pauperum ac deſideria antevolando. Ipſa ad omnium ſe neceſſitates demittit, & ne-

quan.

quando que ab indigentibus adeatur cum moleſtia , prior eos accedit cum voluptate , vel ſolo ſuo invocato nomine. Produnt haud dubij faſti, nobilem quandam certi nominis puellam præſtigijs artibus mirè in globum contortam , & demum jam defunctam tumbę impoſitam, funebri que luctu in hanc Baſilicam deductam, cum non poſſet pedibus viribus que naturæ accedere aram, & ſupplex exorare reanimationem , ex hac Thaumaturga Imagine egreſſa eſt Sanctiſſima Virgo, adiens que lugubre funus , mortuam reanimavit: erexit

ſe

ſe in pedes rediviva incolumis que puella, & detonandum claſſicis primæ claſſis miraculum prædicans, ſupplices ſuæ ſoſpitatrici egit grates, ad ejuſque mandatum vitam ſuam ſanctimonialium inſtituto devovit. O magnum miraculum! Sed majora audite.

XV. Archithaumaturga Zyrovviciana Icon copioſiſſimam in ſuà Copia Romana Lucem Urbi Orbis Urbium que Reginæ affudit. Stupemus immortales Cedros Cipariſſos que per multos ſæculorum tractus non corrumpi, miramur Mem-
phi-

phiticas Pyramides Ægyptios que obeliſcos aduc ſuperſtitesi.Quid enim ſub ſole eſt, quod ſit communis expers fati? Mors etiam ſaxis marmoribus quę venit, & tabida conſumit ferrum lapideſque vetuſtas. Iuſtiorem meretur admirationem Zyrovvicianę Iconis Romana pictura, quę ſub calce diu delituit, nec tamen ulla corruptione temerata eſt.Excluſit ſe nobiliſſima margarita ex candidà calcis concha, ac vividà venuſtate amęna, venuſto decore vernans comparuit: atque ideo riſit marmoreas columnas, ære fuſa perga-

gama, mordaci temporum dente corroſa, in tenues que pulveres attrita. Diviniſſima Charitum, cujus auxilijs muniuntur omnes, & quæ eſt murus ahæneo perennior, effigiem ſuam in muro pictam, illæſam intactam illibatámque ſub corroſivo velamine ſervavit, ut potentiam ſuam ſupremæ Urbium Dominatrici oſtenderet. Obductam cruſtatà nubecula ſuam Imaginem electa ut Sol nulla viſibili ope cooperante remotà cortinà aperuit, ut verticale ſeptimontium novis gratiarum ſplendoribus illuminaret.

XVI. Jam

XVI. Jam que Sereniſſima Cælorum Regina, ex ſua Thaumaturgà Icone Romana mirabiliter detectà, non nictantes diluculi radios jaciebat, ſed ſenſim lucidior, ampliſſimam meridiei lucem ſeminabat, excitatà que in populo pietate, illuminabat & Eliminabat: illuminabat, dum cæcis diem reſtituebat, collapſas corporum incolumitates redintegrabat, languidos adverſitatum atrocitate animos ſolatijs recreabat: eliminabat, dum averni bubones ſtygias que noctuas a corporibus obſeſſis fugabat, ab agonizantibus diram

Ety-

Erynnem abigebat; a tectis inquilinis que tectorum præſtygias faſcinationes arcebat. Et uberioribus jam beneficæ lucis incrementis formoſiſſima Solis æterni prodroma & Mater almam, Urbem illuſtraſſet, niſi modico, quia per modicum temporis durante velamine Vultum non Lumina ſua celare voluiſſet. Lux ejus vario paululum agitata turbine, nullam perpeſſa eſt jacturam ſplendoris, quo etiam per impenetrabilia parietum obſtacula, nobiles generoſorum clientum pavit pupillas. Emerſit tandem fulgentiſſimum ſidus, & memoran-

morandà ſemper (12) Stellæ CLEMENTINÆ ope, ſupra nubium valla, ſupra umbrarum turmas elevatum, in proprio ſtetit Hemiſphærio. Sic Thaumaturga Icon Romana publico in Eccleſia cultui expoſita, uberrimos egentibus theſauros exhibuit, & hactenus exhibet, prout addenſatæ in parietibus tabellæ, pendentia circa aram munera, aurea argentea que donaria, & tot alia Sacræ Domus ornamenta, atque oblata ex voto perennis gratitudinis monumenta, vocale quaſi præbent teſtimonium. Exultavit in arà collaterali gygan-

gantæo paſſu Atlas Unionis Beatus Joſaphat Martyr, cum genuinum agnoviſſet vultum illius Archetypi, cujus olim in Cænobio Zyroviciano fuerat primus e Baſiliadis miniſter. Gaviſi ſunt gaudio magno glorioſi Sergius & Bacchus, nobiles Romani, Athletæ Chriſti inſignes, & Eccleſiæ Tutelares, cum glorioſiſſimam Martyrum Reginam in propriam domum excepiſſent & conſalutaſſent. Quos vero & quam vaſtos lętitię jubilationis tripudij torrentes cordibus veſtris excepiſtis o vos mei Baſiliadæ, pandite ipſi, proprijs que

enar-

enarrate linguis, at que dum jam & in Urbium capite vobis patrocinatur la MADONNA SS. del PASCOLO, gratam ei obſequiorum veſtrorum litate hecatomben. O Signum magnum! a Polo Palæmonio ad Romanum Hemiſphęrium protenſum. Hic lucidiſſima nubes parelio ſolis effulgens lucet & ornat: ibi quoque ejus Imago ſplendet & delectat. Hic pulcherrima Iris mille trahens colores fulget & exhilarat: ibi pariter ejus Effigies micat & temperat triſtia riſu. Hic ſpecioſſima lux dignis ſolatia fundit, at indignos terrore percellit,
in-

innoxijs ſuavem odoriferam que ſe exhibet, at noxæ mortalis vel hæreſeos conſcijs męſtam obnubilatam que ſe præbet: ibi etiam ejus expreſſiſſima ſpecies ſimillimà pollet varietate. O mira unius duplicis que Thaumaturgę Iconis replicatio! Sed quid dico duplicis? jam ex hoc duplicato triplicatum reſultavit miraculum.

XVII. En ex Thaumaturgo Romano Archetypo ingenioſà manu genuinè tranſlatam Imaginem, (13) in Ara majori expoſitam, & a quodam nobili cliente, pro inſigni gratia ſibi collatà, pro peri-

periclitante nempe vità redintegrata, auratà veſte municè ornatam ſuſpicite ſtupete colite. Stupemus vitrum coloratum a luce illuminatum tranſeuntem eandem ſuiſmet afficere coloribus, reciproco quaſi gratificandi ſtudio. Quidni obſtupeſcamus ex Zyrovviciana Romanam, ex Romana viciſſim ejuſdem exemplar inviſibilem virtutem quodammodo derivaſſe? Miramur ſpeculum ſuo ſinu radios Solares recipiens, ingens ijſdem reflexis incrementum addere, alioſque complures multiplicare. Quidni admiremur Thaumatur-

gam, ut ita dicam, Romanę Iconis lucem e fonte Zyrovviciano mutuatam, reciproco jubare ſuam ſpeciem efformaſſe, plures forſan Irides multiplicaturam? Hæc nempe ſunt magnalia primigenię originis, Archithaumaturgę Zyrovvicenſis Iconis, ut patrijs non circumſcripta limitibus, nec limitata finibus, non jam finitimos ſed & remotos ſua lumina diſpergat in orbes. Jaſpidi inſculptam eſſe noſtram Divam Zyrovvicenſem ſententia eſt irrefragabilis. O Jaſpidem noſtrum precioſiſſimum! Unum, ſed in hac Zyrovviciana, & in illa

illa Romana, rurſus in Romano. Zyrovvíciana tricolorem, quibus laudibus celebrem, quibus elogijs deprædicem, quo valore æſtimem, dum conſidero, mens fugit extorris, ſtupor ora ligat.

XVIII. Tacitus igitur Orator, prociduus tamen ad ſcabellum auguſtiſſimorum pedum Tuorum, adoro Te, unaque mecum adorat inclita Lechia magnaque Lithuania o præpotentiſſima Univerſi Gubernatrix, o clementiſſima Poloniarum Domina. Tu Turris eburnea mille clipeis pendentibus inſtructa, magnis Exercituum ducibus, ad

Polonkam, alijs que locis vires animumque miniſtraſti: & ſicut ſtrenuos victoriarum Meſſores protexiſti, ita inhiantes Patriæ noſtræ hoſtes contriviſti. Tu arx firmiſſima, & armamentarium inexpugnabile fortiſſimis noſtris ſtatoribus ſtationem tutiſſimam prębuiſti;& quę pulchra ut Luna, electa ut Sol, pugnantibus pro Deo & Patria noſtris Exercitibus ad conſequendos triumphos illuxiſti, eadem terribilis ut caſtrorum acies ordinata hoſtijbus catervis caliginoſam confuſionem & perniciem intuliſti. Habes idcirco o invi-

ctiſ-

ctiſſima pro noſtra Patria bellatrix, habes inquam ob cives ſervatos ob hoſtes profligatos ad hanc Zyrovvicianam aram Ducales clavas, victorioſos enſes, expanſa labara, cunctaque Bellonæ inſignia. Habes Regum Reginarum Principum Magnatum omniumque ordinum utriuſque Orbis Poloni & Lithuani, imo & exterarum Gentium ſplendidiſſima anathemata, numeroſiſſima munera, Tibi ex voto non tam data quam reddita. Habes denique aureum diadema, quo coronata, & triumphali applauſu in clementiſſimam

Reginam inaugurata, Te illibata fide ac pietate colentes Lithuanos, fauſto omnigenę proſperitatis omine defendere non dedignare. Scande jam Thronum gloriæ Tuæ ſacratiſſima Regnatrix, ut que triumphalem Coronationis Tuæ ſolennitatem facias æternûm memorabilem, orna humeros Tuos Solari peplo, cinge Caput Tuum Stellis, preme pedibus Lunam, & geminis Aquilà Polonà Lithuano que Equite ad nutus Tuos vigilantibus Armigeris ſtipata, rege patriam, protege Cives, defende tuos Clientes, eorum que ſeros Ne-
po-

potes, ac tandem diris bellis amotis, ſtabilem pacem in perpetuum concede.

XIX. Vobis denique Celſiſſimi Excellentiſſimi Illuſtriſſimi cęterique veſtris Titulis ornatiſſimi Auditores deſinens mea Oratio debitas agit grates, precatur que, ut pro veſtro zelo pietate Devotione ac liberalitate, clementiſſima Domina noſtra, immenſos vobis e ſuo Gazophilacio elargiatur theſauros, jamque ipſa jubet Cælicolas opulentiſſima divitiarum reſerare æraria, jam præcipit Aligeris effuſos gratiarum torrentes in vos diſpergere.

Con-

Confidite Auditores Aqua-
rios Cęleſtes Mare Maria-
num nunquam defecturum
in veſtra ſitientia corda ſem-
per effuſuros. Dixi.

NOTÆ.

NOT. 1. *Lithuania dicitur etiam Palæmonia a Palæmone ſenatore Romano duce olim Lithuanorum.*

Not. 2. Polonia & Lithuania eſt una Reſpublica ſub uno Rege.

Not. 3. Zyrovvice ex etymo nominis ſignificat Paſcua.

Not. 4. Richard. a S. Laurent. de laud. Virg. lib. 7.

Not. 5. Lithuani Littavi Littalani ſunt nomina ſynonima.

Not. 6. Alluditur ad gentili-

tiam

*tiam Roſam S. M. Benedi-
cti XIII. Summi Pont.*

*Not. 7. S. Petr. Dam. Serm.
in Aſſum. B. V.*

*Not. 8. Richard. a S. Laurent.
lib. 12. Serm. in aſſumpt.
Novatus c. 9. q. 8. D. Thom.
3. p. q. 28. a. 3. ad 3. Ger-
ſon tract. 4. ſuper magni-
ficat.*

*Not. 9. S. Bonavent. in ſpec.
B. V. cap. 3.*

*Not. 10. S. Petrus Dam. in
Serm. ſuper Evang. liber
Generationis.*

*Not. 11. Polonia dicitur eti-
am Lechia a Lecho primo
Fondatore.*

*Not. 12. Clemens XI. S. M.
juſ-*

juſſit exponi publico cultui Sacram Imaginem del Paſcolo dictam.

Not. 13. Exemplar Sacræ Imaginis del Paſcolo claret miraculis in Eccleſia Zyrovvicenſi, ut liquet ex Relatione Coronationis typis edita in monaſterio noſtro Supraslienſi.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Nuncius Baccarius Epiſcopus Bojanen. Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Joachim Pucci Magiſter, & Socius Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Ordinis Prædicatorum.

MAG 2023850

Digitized by Google